



BOLETIN OFICIAL

DEL

OBISPADO DE SALAMANCA

Las reclamaciones se harán, en el preciso término de un mes, a la Dirección del BOLETÍN ECLESIASTICO, calle de la Rua, 59.

SECRETARIA DE CAMARA

En la relación de los curatos que han de proveerse en el Concurso, publicada a continuación del Edicto de Convocatoria, por error involuntario figuran entre los de entrada con la dotación de 1.100 pesetas Cabellosa y Madroñal, que son de entrada con 1.000 pesetas; y entre estos últimos Zarza de Pumareda, debiendo figurar entre los primeros de 1.100 pesetas.

Lo que de orden de S. E. I. el Obispo, mi Señor, se hace saber para los oportunos efectos.

Salamanca 1 de Octubre de 1918.

DR. AGUSTÍN PARRADO,

Secretario.

SEMINARIO PONTIFICIO DE SALAMANCA

En atención al estado sanitario de la provincia, nuestro Excmo. Sr. Obispo ha determinado aplazar la apertura del curso académico en este Centro hasta nueva orden.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

DE TERTIO ORDINE SERVORUM B. M. V. IN HISPANIA REGIONIBUSQUE EI OLIM SUBIECTIS NONNULLA STATUUNTUR

BENEDICTUS PP. XV

Ad futuram rei memoriam.—Relatum est Nobis, nonnullos errores atque abnormes usus in christifidelibus Tertio Servorum B. M. V. Ordini adiungendis paulatim irrepsisse. Quod preasertim in Hispania, sive ob formam scapularis fidelibus traditi, sive ob adhibitum ritum, ab eo dissimilem, quem haec Sancta Sedes praecepit, sive ob alia id genus, non parum frequenter evenit. Ut igitur omnia ad pristinas leges revocentur atque animi fidelium, quod ad indulgentias lucrandas, huic religioni adnexas, nulla aestuent dubitatione, preces dilecti filii hodierni Prioris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. libenter excepimus atque apostolica auctoritate, audito etiam dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Praefecto S. Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, haec, quae sequuntur, vi praesentium edicimus ac sancimus, ut sodalitates Septem Dolorum Deiparae Virginis in hispanicae linguae regionibus erectae, quae nunc vera Tertii Ordinis consortia existimantur, quamvis utpote simplices confraternitates Septem Dolorum eiusdem B. M. V. initio erectae sint, perinde ac vera Tertii Ordinis con-

sortia, et sanato, quatenus oporteat, omni erectionis defectu, licite habendae sint: secundum autem praecipimus, ut in posterum ad omne dubium expellendum, illud tantummodo Tertii Ordinis Servorum B. M. V. consortium in Hispania ac regionibus ei olim subiectis verum legitimumque censeatur, quod supremus Moderator totius Ordinis pro tempore per suum diploma erexerit. Quibus positis, certa nitimur spe, tam frugiferum institutum, cuius omni laude dignus finis est Dei Matrem Perdolentem praecipuo cultu cohonestare, magis magisque in dies suscepturum incrementa. In contrarium facientibus non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV Junii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

IACULATORIAM QUANDAM PRECULAM IN HONOREM SACRATISSIMI CORDIS IESU RECITANTIBUS INDULGENTIAE CONCEDUNTUR.

BENEDICTUS PP. XV

Ad perpetuam rei memoriam.—Religionem erga SSimum Cor Iesu omni studio fovendam censemus, utpote quae divino Christi Redemptoris nostri desiderio respondeat atque universis Eius devotis, familiis praesertim ei consecratis, omnigena illius aeternae salutis fontis subsidia procuret. Laeti igitur dilecti filii hodierni Praepositi Belgicae Congregationis Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae excepimus vota, quibus caelestes Ecclesiae thesauri pro iaculatoria prece flagitantur. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi atque audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Poenitentiario Maiore, vi praesentium, apostolica auctoritate Nostra, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui, corde saltem contriti, singulis cuiuslibet mensis diebus invocationem: "Sacratissimum Cor Iesu, protege familias nostras," quovis idio-

mate recitaverint ac, vere poenitentes et confessi ac sacra Communionem refecti, quamlibet ecclesiam vel publicum oratorium, semel in mense, quo die quisque voluerit, ubique gentium visitaverint ibique, precibus ad Nostram mentem absolutis, eandem iaculatoriam precem dixerint, quo die iniuncta opera expleverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et largimur. Praeterea fidelibus, quocumque die ipsam precem recitaverint, trecentos dies de iniunctis eis seu aliis quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuslibet. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI Junii MCMXVIII, Pontificatus Nostri anno quarto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLA

AD R. P. CAESAREM PEDRINI, E CONGREGATIONE SERVORUM CHARITATIS, SODALITII "A TRANSITU S. IOSEPH," MODERATOREM: SODALITIUM COMMENDANS, CUI IPSE B. P. PISSIME ADHAERET, SACERDOTES SODALES MISSAM PRO MORIENTIBUS CELEBRATUROS SPIRITUALIBUS DITAT PRIVILEGIIS.

Dum acerbae lacrimae super miseras afflictas humanitatis, magis magisque in dies ingravescentes, profluunt ex oculis Nostris, nullum Nobis maius solacium esse potest, quam si studuerimus dolores cruciatuque pro viribus lenire, qui propter dirum hoc perpetuumque bellum, tam magna in orbis terrarum parte singulis fere horis multiplicantur.

Apostolica vero caritas Nostra eos tantummodo filios amplecti nequit, qui in hac lacrimarum valle peregrinantur; alii sunt enim, eique plurimi filii Nobis dilecti, aeternitatis limen iam proxime ingressuri, quorum flebilis vox aures contingit animumque Nostrum, precum opem exorans ut feliciter ipsi transeant ad vitam sempiternam. Nos autem magna consolatione afficimur quotiescumque consideramus piam Sodalitatem "a S. Ioseph Transitu," ad spiritale auxilium morientibus ferendum fuisse institutam, quae brevi tempore adolevit et diffusa est non secus atque sacrorum holocaustorum piarumque precum pro iis, qui animam agunt, aucta necessitas expostulabat.

Neque tamen abstinere possumus quin id etiam manifestemus, magnam nempe laetitiam Nobis esse partam ex allato pio proposito ea omnia redendi validiora, quae in Sodalitate cummuniter fiunt, rogatis sacerdotibus ut aliquot Missas in orbem, suam cuiusque vicem, celebrare velint pro illis qui intra diem in articulo mortis fuerint constituti. Iam vero cum Romanus Pontifex sit omnium sacerdotum princeps, ita cupimus inceptum hoc merita exornare laude piumque propositum fovere, omnibus exemplo praeuentes et promittentes Nos Ipsos in hunc caritatis finem primo quoque die uniuscuiusque mensis, vel, si primus festus fuerit, altero die, Sacrum esse facturos. Quo vero magis ad praeclaram hanc rem presbiteri incitentur, sacerdotibus illis qui nonnullas Missas quotannis pro morientibus celebraturi sunt facultatem facimus benedicendi extra Urbem, et ad formam Ritualis, coronas, crucifixos, numismata, parva simulacra et alia eiusdem generis ad religionem pertinentia, eisdemque applicandi Indulgentias Apostolicas; facultatem applicandi coronis indulgentias Dominicanorum et Crucigerorum; facultatem benedicendi et imponendi, per unam formulam, Scapularia SS. Trinitatis, Passionis, Mariae Perdolentis, Mariae Inmaculatae, M. de Carmelo; Cingulum S. Iosephi, et facultatem Altaris privilegiati quoties Missam pro morientibus celebrabunt. Praeterea iisdem sacerdotibus plenariam indulgentiam in articulo mortis concedimus, nec non in solemnioribus festis Domini Nostri. B. Virginis, Desponsationis, Transitus et Patrocinii S. Iosephi, in festo S. Michae-

lis et diebus quibus sacerdotio aucti fuerunt. Demum Piae Sodalitati, per intercessionem caelestis eiusdem Patroni, divinorum munerum copiam enixe deprecantes, tibi, dilecte fili, et omnibus qui sanctae huic Unioni nomem dederunt, apostolicam benedictionem pro penso animo impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis iunii MCMXVII.

BENEDICTUS PP. XV.

Sacra Congregatio Consistorialis

DE FACULTATE APPLICANDI MISSAS IN FAVOREM SEMINARIORUM

Quaesitum est a nonnullis Episcopis utrum decretum S. Congregationis Consistorialis die 25 aprilis huius anni, quo statuebatur facultates a S. Sede Ordinariis per communia indulta concessas finem esse habituras die quo Codex Canonici Iuris vigere coepisset, comprehenderet etiam indulta quaedam circa missas in favorem Seminarii applicandas nonnullis dioecesibus concessa.

Huic dubio, de mandato SSmi. D. N., S. Congregatio respondit: memorata indulta non fuisse comprehensa, ideoque in suo robore manere.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 1 iulii 1918.

✠ C. CARD. DE LAI, Ep. Sabinen, *Secretarius*.

L. ✠ S.

† V. SARDI, Archiep. Caesarien., *Adessor*.

Sacra Congregatio Rituum

HERBIPOLEN

DE MISSA VOTIVA VEL COMMEMORATIONE PRO SPONSIS

Hodiernus Episcopus Herbipolen. Apostolicae Sedi sequentia dubia, pro opportuna declaratione, humillime exposuit: nimirum.

Iuxta Canonem 1108 Codicis Iur. Can. Ordinarii locorum benedictionem nuptialem permittere possunt, ex iusta causa, etiam tempore Adventus usque ad Nativitatem Domini inclusive et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive, salvis legibus liturgicis. Hinc quaeritur:

I. Si Ordinarii ex hac licentia, quae non limitata esse videtur, benedictionem nuptialem permittant in Nativitate Domini et Dominica Resurrectionis, licetne Orationi Missae de respectivo Festo addere commemorationem pro sponsis, quamquam haec Festa sicuti alia Festa Epiphaniae, Pentecostes, Smae. Trinitatis et Corporis Christi, ullam aliam orationem excludant?

II. Licetne tempore clauso Missam votivam pro sponsis celebrare?

III. In vigiliis, occurrentibus extra tempus clausum, privilegiatis, nempe Pentecostes et Epiphaniae, licetne legere Missam votivam pro sponsis?

Sacra rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, et prae oculis habito Canone 1108 Codicis Iuris Canonici una cum Rubricis Missalis, quaestionibus sibi propositis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, sub unica conclusione.

Ad II. Si ordinarius loci ex iusta causa permiserit etiam praedicto tempore clauso solemnem benedictionem nuptiarum, Missa votiva pro sponsis celebrari poterit; exceptis tamen Dominicis, Festis de praecepto etiam I et II classis, Octavis privilegiatis I et II or-

dinis, Feriis privilegiatis et vigilia Nativitatis Domini.
Ad III. *Negative* in utraque Vigilia.
Atque ita rescripsit ac declaravit, die 14 iunii 1918.

✠ A. CARD. VICO, Ep. Portuen, et S. Rufinae,
S. R. C. Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

CENSURAE LATAE SENTENTIAE VIGENTES

EX «CODICE JURIS CANONICI»

Censurae sunt: 1.º Excommunicatio; 2.º Interdictum; 3.º Suspendio (can. 2255, § 1). Aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae*... Ex censuris *a iure* reservatis aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi*. E reservatis Apostolicae Sedi aliae sunt reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo*. Censura latae sententiae non est reservata nisi in lege vel praecepto id *expresse* dicatur: et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget (c. 2.245).

I

Excommunicationes "nemini" reservatae

1. Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros, vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem *nemini* reservatam (can. 2318, § 2).

2. Qui *ausi fuerint* mandare seu cogere tradi ecclesiae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1: contrahunt excommunicationem latae sententiae *nemini* reservatam (c. 2339).

3. Qui bona ecclesiastica alienare *praesumpserit* aut in his alienandis consensum praebere contra praescripta c. 534, § 1, et c. 1532: Si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisque bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum (can. 534, § 1)—et beneplacitum apostolicum in memoratis canonibus praescriptum, fuerit *scienter praetermissum*, omnes quoque modo reos sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo manet excommunicatio latae sententiae *nemini* reservata (c. 2347).—Cf. infra nms. 22 et 30.

4. Excommunicatione *nemini* reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoque modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam, vel ad emittendam religiosam professionem, tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam (can. 2352).

5. Fidelis qui *scienter* omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denunciare contra praescriptum can. 904: incurrit in excommunicationem latae sententiae *nemini* reservatam; non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit (c. 2368, § 2).

II

Excommunicationes "Ordinario," reservatae

6. Subsunt excommunicationi latae sententiae *Ordinario* reservatae catholici:

1.º Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063.

2.º Qui matrimonio iniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3.º Qui *scienter* liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre *praesumunt*;

4.º Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos *scientes* tradunt (c. 2319).

7. Qui falsas reliquias conficit, aut *scienter* vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit,

ipso facto excommunicationem *Ordinario* reservatam contrahit (c. 2326).

8. Qui in personas aliorum clericorum (1), vel utriusque sexus Religiosorum (violentas manus injece- rit) subjaceat ipso facto excommunicationi *Ordinario proprio* reservatae (can. 2343, § 4).

9. Procurantes abortum, matre non excepta, incu- rrunr, effectu secuto, in excommunicationem latae sententiae *Ordinario* reservatam (c. 2350).

10. Religiosus, apostata a religione, ipso iure incu- rrit in excommunicationem *proprio Superiori maiori* vel, si religio sit laicalis aut non exempta, *Ordinario loci* in quo commoratur, reservatam (c. 2385).

11. Professi votorum simplicium *perpetuorum* tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis (itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis), matrimonium, etiam civiliter tantum, contrahere *praesumentes* incurrunt in excommunicationem latae sententiae *Ordinario* reservatam (c. 2388).—Conf. in- fra n. 19.

III

Excommunicationes Apostolicae Sedi simpliciter reservatae

12. Quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae *simpliciter* reservata (c. 2327).

13. Nomen dantes sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, contra- hunt ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam (c. 2335).

14. Absolvere *praesumentes* sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam (c. 2338).

15. Impendentes quodvis auxilium vel favorem ex-

(1) Inferiorum scilicet Episcopis (ex eodem c.)—Conf. infra n. 29.

communicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici *scienter et sponte* in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excommunicationem Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam. (Ibidem).

16. Si quis contra praescriptum can 120: *ausus fuerit* ad iudicem laicum trahere... alium Episcopum (1) etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius*, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam (contrahit) (c. 2341).

17. Plectuntur ipso facto excommunicatione Sedi Apostolicae *simpliciter* reservata:

1.º) Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes, vel admittentes;...

2.º) Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores alique, quicumque ii sint, *eas cuiuscumque aetatis* introducentes, vel admittentes;...

3.º) Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601 (c. 2342).

18. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illud permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, subsunt ipso facto excommunicationi Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatae (c. 2351).

19. Clerici in sacris constituti, vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere *praesumentes*, incurrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam (c. 2388).—Conf. supra n. 11.

20. Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis, aut dignitatibus ecclesiasticis incu-

(1) Id est: *non proprium* Ordinarium (ex eodem c.)—Cf. infra n. 28.

rrunt in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam (c. 2392).

21. Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium substraxerint, vel destruxerint, vel celaverint, vel substantialiter immutaverint, incurrunt ipso facto in excommunicationem Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatam (c. 2405).

22. Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia, sive immobilia, sive corporalia, sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare *praesumpserit*, aut impedire ne eorundem fructus seu redditus ab his, ad quos iure pertinent, percipiantur, excommunicationi tandiu subiaceat, quandiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde *a Sede Apostolica absolutionem impetraverit* (c. 2346).—His postremis verbis patet censura absolutionem esse reservatam *Sedi Apostolicae*; quonam vero modo non liquet; hinc, *quod minimum est tenendum*. Conf. supra n. 3 et infra 3.

IV

Excommunicationes Sedi Apostolicae "speciali modo," reservatae

23. Omnes a christiana fide apostatae, et omnes et singuli haeretici (1), aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem... Absolutio ab (*ea*), in foro conscientiae impertienda, est *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata (c. 2314).

24. In excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haeticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim

(1) Suspectus de haeresi. qui monitus causam suspicionis non removeat, actibus legitimis prohibeatur, et clericus praeterea, repetita inutiliter monitione, suspendatur a divinis; quod si intra sex menses, a contracta poena completos, suspectus de haeresi sese non emendaverit, habeatur tanquam haeticus, haeticorum poenis obnoxius (c. 2315).

schisma propugnant, itemque eosdem libros, aliosve per Apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes, aut *scienter* sine debita licentia legentes vel retinentes (c. 2318, § 1). (Cf. n. 1).

25. Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si Missae celebrationem simulaverit, aut sacramentalem confessionem exceperit excommunicationem ipso facto contrahit *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam (c. 2322).

26. Omnes et singuli cuiuscunque status gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad Universale Concilium appellantes, sunt suspecti de haeresi et ipso facto contrahunt excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam (c. 2332).

27. Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem, excommunicatione latae sententiae *speciali modo* Sedi Apostolicae reservata plectuntur (c. 2334).

28. Si quis contra praescriptum can. 120: *ausus fuerit* ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus, vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam (c. 2341).—Cf. supra n. 16.

29. Qui in personam S. R. E. Cardinalis, vel Legati Romani Pontificis, ... Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum (violentas manus iniecerit) incurrit in excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam (c. 2343).—Cf. supra n. 8.

30. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, subiacent excommunicationi latae sententiae *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatae (c. 2345).—Cf. supra nms. 3 et 22.

31. Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, de-

cretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis *scienter* utentes incurrunt ipso facto in excommunicationem *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam (c. 2360).

32. Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denunciaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si quae inde secuta sint pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 (g) (c. 2363).

V

Excommunicationes Sedi Apostolicae "specialissimo modo," reservatae

33. Qui species consecratas abiecerit, vel ad malum finem abduxerit, aut retinuerit... incurrit in excommunicationem latae sententiae *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatam (c. 2320).

34. Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit, excommunicationem contrahit latae sententiae Sedi Apostolicae *specialissimo modo* reservatam; et est ipso facto vitandus (c. 2343).

35. Absolvens, vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatam; idque.

1.^o) Etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exortura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto caso quo moribundus recuset alii confiteri.

2.^o) Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur; sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est (c. 2367).

36. Confessarium qui sigillum sacramentale direc-

te violare *praesumpserit* manet excommunicatio *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata (c. 2369).

VI

Appendix

37. Quod attinet ad poenas statutas in delicta quae in eligendo Summo Pontifice committi possunt, *unice standum* const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 Dec. 1904 (canon 2330).

38. Simoniae crimen, tan divino quam humano iure detestabile, in electione Romani Pontificis omnino sicut reprobatum esse constat, ita et Nos reprobamus atque damnamus, huiusque criminis reos poena *excommunicationis latae sententiae* innodamus; sublata tamen irritatione electionis simoniacae, quam Deus avertat, a Julio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta, ut praetextus amputetur impugnandi valorem electionis Romani Pontificis.

39. Item sub *excommunicationis poena* prohibemus ne quis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, tractare de ipsius Succesoris electione, aut aliquid suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis, aliquid deliberare et decernere praesumat.

40. Quae autem in memorata Nostra Constitutione "*Commisum Nobis*," de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, in electione Summi Pontificis ediximus et sanximus, hic *omni ex parte atque integre* renovantes, confirmata esse volumus. Quamobrem iterum in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicii et *poena excommunicationis latae sententiae* (1) omnes et singulos S. R. E. Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes prohibemus ne quovis pretextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto*, sive *exclusivam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumve hoc *Veto*, qualivet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo

(1) In Const. «*Commisum Nobis*» additur: *speciali modo reservatae futuro Pontifici*.

Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto sive ore, sive directa ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive ipso perdurante. Quam prohibitionem extendi volumus ad omnes interventus, intercessionem aliosque modos quoslibet, quibus laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

41. Cardinales praeterea abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus aliisque quibuscunque obligationibus, quibus adstringi possint ad suffragium alicui vel aliquibus dandum vel non dandum; quae omnia et singula, si de facto intervenierint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri decernimus et contra facientes ex nunc *excommunicationis poena* innodamus. (Const. cit., nms. 79-82).

COMISIÓN DEL CÓDIGO

Sobre confesión y comunión de los niños

En la revista norteamericana *The Ecclesiastical Review, March*, 1918, pág. 313-314, encontramos la siguiente doble respuesta dada por la Comisión del Código en 3 de Enero del presente año:

Eminentissime Princeps:

Ad dubia proposita a Rvmo. Ordinario Campivallen (Valleyfield), et ab Emtia. Tua Revma. transmissa h. Commissioni, nempe:

I. Utrum pueri, qui etsi septimum aetatis annum nondum expleverunt, tamen ob aetatem discretionis, seu usum rationis ad primam Communionem admissi jam fuerint, teneantur duplici praecepto confessionis

saltem semel in anno, et Communionis semel in anno, saltem in Paschate?

II. Utrum canon 1255 iam ubique obligandi vim habere inceperit, non obstantibus legibus particularibus, etc.?

Emmus. Card. Petrus Gasparri, Commissionis Praeses, respondet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative.*

Et ratio, quoad primum dubium, in aperto est. Nam quamvis can. 12 statuat: "Legibus *mere* ecclesiasticis non tenentur... qui licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt," subdit tamen "nisi aliud in jure *expresse* caveatur." Jam vero in can. 859, § 1, 906 *expresse* cavetur. "Omnis utriusque sexus fidelis *postquam ad annos discretionis, id est, ad usum rationis pervenerit*, etc."

Quae dum communico, Eminentiae Tuae Revmae. cuncta fausta a Deo adprecor.

Romae, 3 ianuarii 1918.—P. CARD. GASPARRI.—
